

The Electronic *Manipulus florum*
www.manipulusflorum.com

Curiositas ar
cum fonte primo

Innumerabiles questiones fiunt de anima tantum:
unde sit, qualis sit, quando esse incipiat,
quamdiu sit, an aliunde alio transeat
et domicilia mutet et ad alias animalium formas,

an non amplius quam semel seruiat et emissus uagetur in toto,

quid sit facturus animus cum per nos aliquid facere desierit,
quomodo libertate sua usurus cum ex hac effugerit cauea,
an obliuiscatur priorum.

Hec tam multa, tam magna ut habere possint liberum hospicium,
superuacua ex animo tollenda sunt.
Non dabit se in has angustias uirtus.

Expellantur omnia, totum pectus illi uacet.

Seneca ibidem (LXXXVII. epistola).

Innumerabiles quaestiones sunt de animo tantum:
unde sit, qualis sit, quando esse incipiat,
quamdiu sit, aliunde alio transeat
et domicilia mutet in alias animalium formas
aliasque coniectus,

an non amplius quam semel seruiat et emissus uagetur in toto;
utrum corpus sit an non sit;

quid sit facturus cum per nos aliquid facere desierit,
quomodo libertate sua usurus cum ex hac effugerit cauea;
an obliuiscatur priorum

et illinc nosse se incipiat unde corpori abductus in sublime secessit.
Quamcumque partem rerum humanarum divinarumque conprenderis,
ingenti copia quaerendorum ac discendorum fatigaberis.

Haec tam multa, tam magna ut habere possint liberum hospicium,
superuacua ex animo tollenda sunt.

Non dabit se in has angustias uirtus;
laxum spatium res magna desiderat.

Expellantur omnia, totum pectus illi uacet.

Lucius Annaeus Seneca, *Ad Lucilium epistulae morales*, 88.34-35
(L. Reynolds ed., vol.1, pp.320-1, ll.17-29, 1-2).